



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 188. Quid addendum sit circa materiam gravem vel levem in omissione Horarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

“fructus non faciat suos. Sic ille apud *Dia. p. 2. t. 12.*

“*R. 8. v. infra a. 4. §. 6. in fine.*

“ VIII. Ubi Bulla *Pii V.* non est recepta, potest
 “videri probabile, beneficiatum ad dictam restitu-
 “tionem non obligari, ut habet *Sylv. v. Clericus.*

A D D E N D A.

1202 **Q.** 183. *Quid addendum sit circa materiam
 gravem vel levem in omissione Horarum. R.
 Seqq.*

§. I. Media pars parvæ Horæ, v. g. Tertiæ, non est materia peccati mortalis, uti tenent multi cum *Gavanto & Stoꝝ. l. I. p. 3. n. 381. contra Suar. Sanch. Regin. Dian. p. 2. t. 12. R. 41.* Improbabilis autem videtur eorum sententia, qui dicunt unam Horam minorem, v. g. Tertiam totam, non esse materiam peccati mortalis, *Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. §. 2. n. 11. Stoꝝ. n. 380. citans decretum S. Congregationis.* Unde rectè docet *Gob. in Exp. t. 5. n. 608.* eum peccare mortaliter, qui etiam tantum semel in anno omittit Tertiam, & pro hac sententia affert 24. AA. *Diana p. 6. t. 6. R. 6.* Quòd si omittas minùs quàm totam parvam Horam, non peccas mortaliter, *Less. Bonac. Laym. Gav. Bonart. Tamb. n. 10. Gob. n. 611.* Si tamen modicam tantum partem recites unius parvæ Horæ, v. g. hæc 5. verba, *Deus in adiutorium meum intende,* censeris totam negligere, adeoque peccas mortaliter, quia ita parum pro nihilo reputatur, *Tamb.* Quòd si ex matutino omittas, quantum est parva Hora, *Illf. t. 5. n. 39.* damnat te mortalis.

1203 §. II. Probabilius est cum *Tambur. & Stoꝝ. n. 382.* eum peccaturum mortaliter, qui interruptim per totum officium omitteret, quantum est integra parva Hora, quia partes spectantes ad unum totius diei

diei officium coalescunt in unum & conficiunt tandem notabilem quantitatem : Plures tamen apud *Gob. n. 609. & 618.* contradicunt, docentes eum non peccare mortaliter, qui ex singulis Horis omitteret duos psalmos & hymnum, eò quòd ad mortale videatur requiri, ut in una eademque hora omittatur pars notabilis, quæ sententia non videtur esse omnino improbabilis. Vide dicenda l. 5. n. 296.

§. III. Omittere totas Vesperas Sabbato sancto communiter censetur mortale, non ob quantitatem sed qualitatem, quia nempe sunt integra Hora & continent magnum mysterium : tamen hoc esse tantum veniale, probabiliter putant *Bonass. Marchant. Pelliz. T. 1. tr. 5. c. 8. n. 93. Tamb. n. II. & alii apud Gob. n. 609.*, quia sunt parva oratio, & quidem in die lætitiæ, quo Horæ aliæ satis magnæ præcesserunt.

§. IV. Si Matutinum & Laudes constituent unam Horam, quod docent *S. Th. Suar. Diana p. 5. c. 14. R. 46. Gob. n. 557.*, probabile est plus requiri ad mortale, quàm medias Laudes : & hæc opinio, quòd Matutinum & Laudes sint una Hora, videtur probabilior contra *Nav. S. Anton. & alios*, quia quamvis Laudes se solis habeant formam unius Horæ, nempe antiphonas, psalmos, Capitulum, hymnum, orationem, tamen ea non habet Matutinum, unde videtur cum Laudibus constare unam Horam, ita tamen, ut Laudes orentur per modum integræ Horæ.

§. V. Est obligatio sub veniali, ut tribus ultimis feriis septimanæ sanctæ etiam in privato officio ad lamentationes Jeremiæ addantur litteræ hebraicæ, aleph, beth, &c. saltem ubi in choro canuntur, quia privata oratio quoad talia debet conformari publicæ.

Q. 189. An obligatio recitandi Horas sit quoad
P p 4